

1770, 7
DE
ACTORE CONTVMACE
TAM

SECVNDVM IVRA COMMVNIA QVAM
STATVTARIVM HAMBVRGENSE
SPECIMEN INAVGVRALE

QVOD
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GEORGIO III.

MAGNAE BRITTANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE REGE
DEFENSORE FIDEI
BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVCE
S. R. I. ELECTORE ET ARCHITHESAVRARIO
RECTORE GEORGIAE AVGVSTA MAGNIFICENTISSIMO.

ILLVSTRIS
IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CONSEQUENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVEMITTIT
CLEM. WICHM. CAROL. PRINSHAVSEN
HAMBVRGENSIS.

AD DIEM XI. IVLII CICLOSCCLAX.

EX OFFICINA SCHVLZIANA.

D2

VICTORÆ CONSULTAM ACCE

SECUNDUM VULG. COMMUNIÆ GAVM
STATUTARIUM HAMBURGENSE
SPECIMEN INVAGARALE

6400
POTENTIALE PRINCIPALIS AC DOMINI
DOMINO

GEORGIO III

MUNICIPALITATIS HARLEMBOURG ET HAMBURGENSIS
HABENDA
BVRGOMAESTERIA ET LVRKOMAESTERIA DUC
SACRUM ET SECRETORIUM ET ARCHIVITICAS AVERBIS
PROTOSIA BURGOMAESTER AVAESTER MAGISTRICUS TITUBUS

HABETUR

VARIEGONSIATI JURORVM ORDINIS VICTORIATI

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTOGAE IURE HONORES

RITUS CONSEGUENTIA

CIVILIS MIGCHIÆ GAVRIÆ PRINCIPIA
HAMBURGENSIS

AD O. 1000 AL. IAHU. CICICOLYX

EX CERTIS ET SILENTIIS

VIRO
MAGNIFICO
PERILLVSTRI CONSULTISSIMO
IOHANNI IACOBO FABER
I. V. L.
SYNDICO
REIPUBLICAE HAMBVRGENSIS
MERITISSIMO
FAVTORI SVO PIE DEVENERANDO

SPECIMEN HOC IN AVGVRALE

EA QVA DECET OBSERVANTIA
PERPETVAM FELICITATEM

PERENNEM VALETVDINEM
PROSPERRIMAM

CONSILIORVM CVRARVMQVE SALVBERRIMARVM
SVCESSVS LAETISSIMOS PIE ADPRECANS

D. D. D.

CLEMENS WICHMANNVS CAROLVS
PRINSHAVSEN.

DISSE^{NT}TATIONIS
IN AVGVRALIS IVRIDICAE
DE
ACTORE CONTVMACE
TAM
SECVNDVM IVRA COMMVNIA,
QVAM STATUTARIUM
HAMBVRGENSE.

CAPVT I.
DE CONTVMACIA IN GENERE.

§. I.

Instituti ratio.

Non tantum reorum est fugere, fugiunt et actores. Frequentius quidem in foro rei se hoc delicto contaminare solent, adeo ut et ipsi inde FUGIENTIVM nomen teste Iacobo CVIACIO (a) sortiti sint, quia fugere et subterfugere eorum proprium esse videtur. Foedior tamen et pestifera magis est contumacia actorum.

Si

(a) ad cap. 3. x de dolo et contumacia.

A

2 DISS. IN AVG. IVRID. DE ACTORE CONTVMACE

Si enim integratatem iudiciorum et reverentiam ius dicentibus debitam spectes; id peruersissimum hominum genus esse adparebit, quod eiusdem iudicis, cuius auxilium contra aduersarium implo- rauit, auctoritatem contemnit. Maxima quoque inde contra acto- rem eiusmodi oritur suspicio, quod falsis litibus alios diuexare delestantur, eumque, cui bene esse licet, litibus peruertere studeat. Vel enim, si calumniator esse nolit, quam inchoauit item pro- sequi, vel declarare tenetur, se ex post facto causam sibi esse iniustam cognouisse, et ita desistere a litigando. Prae aliis ergo, cum specimen inaugurale elaborandum fuerit, thema **DE ACTO- RE CONTVMACE** tractandum mihi eo magis proposui, quo magis interest, ne quea in salutem et securitatem reipublicae intro- ducta sunt, Themidis sacra profanentur, aliorumque fortunas euer- tendi remedia euadant. Praeter materiae dignitatem autem et hoc me impulit ad ingensii vires circa eam periclitandas, quod nemo huic usque speciatim eius illustrationem, quod sciam, sibi sumse- rit. Methodus, qua utar, haec erit, ut praemitto capite primo de *contumacia in genere*, secundo de actoris contumacia tam secundum iura communia, Romanum scilicet, Canonicum et Germanicum, quam secundum dilectissimae patriae, inclytiae S. R. I. liberae Ciuitatis Hamburgensis statutum in specie agam, mo- dumque procedendi contra actores contumaces ex propriis cuiuslibet iuris fontibus ostendam. Quo facto, benevoli Lector, si quid

„nouisi rectius istis:
„candidus imperti; si non, bis vtere mecum.

§. II.

§. II.

Contumaciae indeoles.

Contumaciae (*a*) in iure duplex est significatus; generalis
alius, aliis specialis. In sensu generali quaevis inobedientia vel
contra leges vel erga iudicem commissa contumacia vocatur. In
obedientiam erga legem paeprimis prohibituam poenalem com-
missam ita vocari, ex verbis Papiniani (*b*) colligo, qui, *multum*
interest, inquit, *errore matrimonium illicite contrabatur*, an
CONTUMACIA IURIS et sanguinis contumelia concurrant. Quid?
quod et ipse iudex potestate sibi concessa abutens, si interpositam
legitime adpellationem recusat, contumax dicatur (*c*). Quemuis
porro neglectum eius quod a iudice iniunctum est generali con-
tumaciae nomine venire, patet ex verbis Papae ALEXANDRI III,
qui, *si legitime citatus ait* (*d*) *nec venit, nec responsalem misit,*
AVT ETIAM ALIAS PARERE CONTEMNIT tenebit excommuni-
cationis sententia in eum pro contumacia promulgata. Speciali
vero significatu CONTUMACIA est contentus iussus iudicis com-
petentis de negotio certo tempore in iudicio expediendo. Expri-
mun:

(*a*) Ad originem vocis quod at-
tingeret, quidam Philologorum ICto-
rum eam deriuant a *tumeo*, inflari et
superbire, ex qua superbia scatere
dicitur ista inobedientia. Verior ta-
men videtur opinio eorum, qui con-
tumaciam dictam esse puram a con-
temnere, quia ubique ferre in legibus
efficta contumaciae in contentu po-

nitur L. 53. D. *dere iudicata c. 3.*
7. x *de dolo et contumacia. c. 7. x*
de adpellationibus. fac. CVIACIVS in
obseruat. Lib. XVIII. cap. 30.

(*b*) L. 38. §. 1. D. *ad legem Iu-*
liam de adulteriis coercendis.

(*c*) L. 59. C. Theod. de App.

(*d*) c. 7. x *de adpellationibus.*

4 DISS. IN AVG. IVRID. DE ACTORE CONTUMACE

munt hunc significatum verba Hermogeniani (e): *Contumax est, qui tribus edictis propositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremtorium appellatur, litteris euocatus praesentiam sui facere contemnit; et PAVLI (f): Trinis litteris vel edictis, aut uno pro tribus dato, aut trina denunciatione conuentus, nisi ad iudicem a quo sibi denunciatum est, aut cuius litteris vel edictis conuentus est, venerit, quasi in contumacem dicta sententia auctoritatem rerum iudicatarum obtinet: et PP. ALEXANDRI III. tam quae ante adduxi; quam etiam verba: si adversarius suus legitime citatus ad praesentiam vestram accedere vel iudicio vestro parere contemserit, aut etiam se absentauerit etc.* (g). Fundamentum contumaciae est obligatio perfecta ad actum in iudicio expediendum, sine qua vera contumacia committi nequit: Hinc inde ad monitoriam citationem, quippe consilii vim habentem emanentis nulla est contumacia. Hinc etiam qui legitime citatus non fuerit, contumax iudicari non potest (h). Contumaces enim non videntur teste HERMOGENIANO (i) nisi qui cum obedire deberent, non obsequuntur, id est, qui ad iurisdictionem eius, cui negant obsequi, pertinent. Dupli ratione potissimum committitur; vel enim est *proprie talis*, scilicet, si aliquis plane non

com-

(e) L. 53. D. de re iudicata.

(f) in receptis sententiis. Lib. IV.
Tit. 10. §. 7. apud Ant. SCHVLTIN-
GIVM in iurisprudentia ante Iusti-
niannam p. 450. ibique CVIACIVS.

(g) cap. 3. x de dolo et contuma-

cia.

(b) Sunt verba INNOCENTII III.
in c. 34. x de electione et electi po-
testare.

(i) L. 53. §. 3. D. de re iudica-
ta; add. L. 20. D. de iurisdictione.

CAPVT I. DE CONTUMACIA IN GENERE. 5

comparer; vel secundum *quid talis*, quando quis comparer, sed non legitimo modo, vel non intentione. ut quae ex iudicis ius-
su perfecte obligante peragenda erant, in iudicio expediat. Non enim sufficit, ut copiam sui faciat in iudicio, requiritur etiam,
ut ea expediat, quae ei iniuncta erant. Illa species, *contumacia*
non veniendi seu non comparendi; haec vero *contumacia non*
praestandi vocatur, variisque omni tempore in processu modis
sele exferit, scilicet; non legitimando, cautionem non praestando,
non respondendo et litem non contestando, non probando, in-
strumenta non producendo, non recognoscendo, non edendo,
et quae huius generis sunt (k).

§. III.

Variae Doctorum distinctiones contumaciae.

Non vna omnium Doctorum, qui modum procedendi in iu-
dicio scriptis suis illustrarunt, est sententia de contumacie spe-
ciebus. Operae pretium esse credo, nonnullas eorum distinctio-
nes, saltem memorabiliiores, et quid de iis videatur, hic expo-
nere, antequam propriam diuisiōnē addam. *Iohannes BRVN-*
NEMANNVS (a) contumaciam trifariam dissecat. Consistere cam
redit, vel in *non veniendo*, vel in *non respondendo*, vel in *non re-*

A 3 situendo.

(k) *Barthol. Lebnb. SVENDEN-* *sqq. PERILL. G. L. BOEHMERI prin-*
DORFFERI Processus Fibig. c. II. §. *cipia iuris can. §. 780.*
4. *Es. PVFFENDORFI introd. in pro-* (a) *in processu civili cap. IV. §.*
cessum ciuilem. P. II. c. III. §. 3. z.

6 DISS. IN AVG. IVRID. DE ACTORE CONTVMACE

situendo. Contumaciam in non veniendo in *veram* et *praesumtam*, veramque iterum diuidit in *expressam*, ut si quis respondeat, se nolle venire, et *tacitam*, quando quis in faciem citatus non comparuerit. *Praesumptam* vero vocat, quando de citationis insinuacione nondum plane constat. Sed haec distinctiones, si bene eas perpenderis, non satis neque naturae rei neque legibus accommodatae sunt. Ad primam enim quod attinet, dantur utique plures species contumaciae, quam quae in non respondendo et non restituendo consistunt (§. 11.), quae omnes sub generali nomine contumaciae non praestandi comprehenduntur. Altera vero in contumaciam veram et *praesumptam* omni prorsus fundamento desitura est. Si enim de citatione eiusque insinuatione rite facta nondum constat, nulla omnino contumacia existere putatur, adeo ut neque in expensas condemnatio neque in contumaciam processus locum habeat (b). Alii eodem modo contumaciam dispescunt, sed vocabulis tantum differunt a BRVNNE-MANNO. Quorum ex numero Iodocus DAMHOYDERVS est (c), cui in *veram*, *praesumptam* et *sicutam* contumaciam distinguere placuit. Veram vocat, quam BRVNNEMANVS *expressam* dixit, scilicet quando verba et facta consentiunt, vel quando quis sine licentia abit. *Praesumptam* nominat, quae a BRVNNEMANNO pro *tacita* habetur, quando de citationis insinuatione et sic de

con-

(b) *Eustias PUFFENDORF in proc. ciui. Luneb. l. c. §. 7.*

(c) *in praxi ciuili cap. 29. num. 25 et sqq.*

CAPVT I. DE CONTVMACIA IN GENERE.

7

contumacia constat. Fictam tandem, quam BRVNNEMANVS praesumtam nominauit. Eadem hic monenda sunt quoad distinctiones DAMHOVDERI, quae de distinctionibus BRVNNEMANNI dixi. Paulus quoque CHRISTINAEVUS (*d*) eodem modo distinguit, aliis tantum vocabulis propositis; in euidentem, veram et praesumtam. Illam vocat, quam BRVNNEMANVS expressam et DAMHOVDERVS praesumtam; hanc, quam BRVNNEMANVS quoque praesumtam, sed DAMHOVDERVS fictam nominauit. Alia prorsus ratione Tobias Iacobus REINHARTH (*e*) cum Conrado RITTERSHVSIO (*f*), et Iustus Henningius BOEHMERVS (*g*) contumaciam in veram et praesumtam, scilicet, qua dolus in verum et praesumtum dispesicitur, diuidunt. *Veram* enim vocant, quando dolus illius, qui iudici suo non obedit, manifestus est; *praesumtam* vero, quando citatus copiam sui non facit, nec ea quae facere tenetur, perficit, de eius tamen dolo non constat; hunc pro contumaci haberi, donec allegando et probando impedimenta, quae venire in iudicium illi non permiserunt, a mala contra eum enata praesumtione se purgauerit. Quod in hac diuisione desidero, maxime in eo positum est, quod vera contumacia secundum eam semper pro dolosa sit habenda; cum tamen experientia nos edoceat, contumaciam plerumque culpa magis et negligentia vel litigatorum eorundem-

que

(*d*) *Decision. Vol. I. decis. 139. n. 6. sqq.*

(*e*) *dis. de reo contumace causee viliore. §. 3.*

(*f*) *in Nouellarum expositione*

method. Part. IX. cap. XV. §. a.

(*g*) *in iure eccl. protest. Lib. II. tit. 14. veram praeterea qualificatam, praesumtam vero simplicem vocat,*

6 DISS. INAVG. IVRID. DÉ ACTORE CONTVMACE.

que patronorum causae, quam dolo committi (*b*). Iisdem terminis vtuntur *Huldericus ab EUBEN* (*i*) in distinguenda contumacia, sed alio iterum sensu. Illi *vera* est contumacia, quoties constat, vocatum citationis scientiam habere, nec tamen cum venire potuerit comparere; *praesumta* vero, quoties non constat, an citatus citationis emissae ignarus absit, nec ne. Sed utriam ad *BRVNNEMANNI* distinctionem monui, hoc ultimo casu nulla omnino contumacia existit. Tandem et *Esiae PvFFENDORFII* (*k*) distinctionem referam, qui contumaciam non veniendo admissam, vel *veram*, vel *quasi contumaciam* dicit, illamue iterum in *expressam* et *tacitam* distinguuit. Superior secundum eius sententiam existit, cum quis in contemptum iudicis nolle se venire, declarat; *tacita* vero, cum quis in faciem citatus non comparet. Omessa vero ab eo est differentia ratione culpae vel doli, qua tamen multum interest, in modo coercendae contumacie.

§. IV.

Continuatio.

Ex his, quae §. antecedente relata sunt, apparet, sermonem Doctorum in hoc articulo adeo esse confusum, ut alii vix aliorum orationem intelligere queant. Non quidem hanc confusionem nolis terminis diuersisque eorum significatis additis augere iuuat; cum vero nulla ex propositis ratio distinguendi naturae contumacie satis conueniens

(*b*) *Esiae PvFFENDORFI* l. c. §. 3. Scriptis. p. 448.

(*i*) *in discursu ad cap. per tuas* (*k*) l. c. §. 6.
58. X de appellat. c. IV. §. 6. in eius

conueniens visa fuerit; iam quid mihi videatur proponere in animo est. Ex supra dictis apparet, nullam esse contumaciam, antequam de cirationis arctatoriaie insinuatione legitima constet, quam ergo ante omnibus docere debet is, qui alterius contumaciam accusat. Huc specent verba PP. ALEXANDRI III. si legitime citatus non venit (§. II.). Non enim legitime nec cum effectu citatus videtur, cui citatio vel plane non, vel non iusto modo insinuata est. Si ergo de insinuacione in processu contra contumacem constat, iam contra emanentem praesumtio inde oritur, eum esse contumacem. Non enim statim actu contumax iudicari potest, quia legitimis impedimentis fortassis obstritus ius dicenti non obtemperauerit. Si tandem vero constat, ei nulla fuisse legitima impedimenta, noua quaestio dirimenda est, scilicet, vtrum vera eius contumacia *dolo an culpa* commissa sit. Omnem ergo contumaciam, tam non veniendo quam non praestando commissam distinguo, in *veram* et *praesumtam*. *Veram* voco, quam actu commissam esse constat; *praesumtam*, vel si eam *quasi contumaciam* appellare magis placuerit, quam quia constat de legitime facta insinuatione iussus iudicis, commissam esse praesumitur, donec suspicio contra eum orta purgata sit. *Veram* iterum contumaciam in *dolosam* et *culposam* diuido, prout eam vel dolo vel culpa commissam esse constat. Dolosae quoque noua pro magnitudine doli quasi familia est. Si enim aliquis expresse in contemnium iudicis declarat, se nolle venire, vel expedire in iudicio quod expediendum est, eius est maior animi pertinacia, quam eius, qui simplici dolo iussum iudicis negligit. Illam qualificatam hanc vero *dolosam simplicem* nominare liceat.

B

§. V.

§. V.

An contumacia sit delictum?

Quaestionem quoque, an contumacia pro delicto habenda sit, hoc loco obiter attingere par est. Affirmant eam nonnulli (*a*) simpliciter, propterea quod contumaciam sine dolo committi non putant. Falluntur quidem, vii ex antecedentibus adparet, et etiam saepius laudatus PVFFENDORFFIVS (*b*) recte monuit, qui contumaciam absque dolo non committi somniant, quoniam ea plerumque culpa magis quam dolo perpetratur. Nihilo minus tamen crediderim, *veram contumaciam delictum recte vocari posse*. Dantur enim delicta tam culposa quam dolosa; et quid praeterea requiritur ad naturam delicti, quam factum subdit liberum, quo sanctio poenalis violatur? Non ergo est, quod cum PVFFENDORFFIO inter culposam et dolosam contumaciam distinguamus. Pergit quidem, si contumacia delictum nunquam non ponat, quid dicemus, an contra eandem in integrum restituere iudex vnquam possit? Dolose agentibus restitutionis beneficium, etiam si sint minores non dari, res ipsa loquitur, cum in delictis, si malitia aetatem supplet, aetate neminem excusari constet (*c*). Si tamen delictum, vii Imperatores SEVERVS et ANTONINVS aiunt (*d*), non ex animo sed extra venit, hoc est, si negligentia magis quam ex proposito delictum committitur, *minoribus in hac causa*

(*a*) Ben. CARPOVIVS in proc.
ciu. T. 24. A. 1. n. 9. et A. 2. n. 6.
Lud. Gualib. MARTINI Comment. ad
Proc. El. Sax T. 10. Rubr. n. 9.

(*b*) I. c. §. 3.
(*c*) L. 2. C. si aduersus delictum.
(*d*) L. 1. C. si aduersus delictum.

CAPVT I. DE CONTVMACIA IN GENERE.

ii.

causa in integrum restitutionis auxilium competit. Maioribus vero idem competere aliter non potest, quam ex speciali causa, ex qua laesionem aliunde, quam ex eorum culpa descendere appetat (e). Hi ergo si culposae contumaces fuere, ob laesionem propria culpa interuenientem restitui non possunt. Ex quibus subinde satis adparer, partim contumaciam, quanquam non sit dolosa, non semper restitutioni locum facere; partim, posse etiam iudicem interdum in integrum contra contumaciam restituere, quanquam delictum ponat; ideoque etiam culposam contumaciam delictum recte vocari. Et eo magis hoc dubio caret, cum ipse Papa ALEX. III. contumaciam indistincte delictum vocare parum dubitauerit (f).

§. VI.

Diuersa genera poenarum contumaciae.

Cum contumaciae diuersa sit conditio, diuersus quoque modus eam coercendi obseruandus est. Quanquam enim tam culposa quam dolosa delictum constitutat, non tamen vna eademque natura est, nec dolosa quidem aequali gradu punienda est, sed multum potius, utrum qualificata sit an simplex, interesse credo. Omnis omnino poenae contumaciae finis est duplex: partim ut iudicis auctoritatem

(e) PERILL. G. L. BOEHMERI
princ. iur. can. §. 212.

(f) c. 4. §. 1. x de offic. et potest.
Iud. deleg. ibi: His etiam qui pro causis fabi commissis ad citationem tuaum venire aut tuo super bis pa-

rere iudicio neglexerint: si tale fuerit negotium quod certa exinde poena in canonibus exprimatur, eandem infligas, alioquin ipsos pro delicti qualitate et cause secundum tuum arbitrium punire procure.

12 DISS. INAVG. IVRID. DE ACTORE CONTVMACE

ritas falsa parim ut aduersario ius suum persequendi in iudicio illaesum permaneat. Ex hoc duplice fine duplex quoque species poenarum obtinet. Sunt enim vel *publicae* vel *priuatae*. *Publicas* vocamus, quas sumendi ius penes iudicem est ad ius dicentis auctoritatem tuendam; *priuatas* vero, quas pars aduersa in iudicio persequi potest (a). Ex hac diversitate poenarum quoque ipsius delicti conditio diuersa penderet. Quatenus enim poena publica coercenda est contumacia, eatenus pro delicto publico habenda; quatenus vero priuata tantum obtinet, eatenus priuatum quoque delictum constituit. Poena publica est extraordinaria et ex arbitrio iudicis pro delicti et causae qualitate determinando dependeret (b). Consistit in multæ pecuniariae dictione, vel incarceratione, vel secundum ius canonicum etiam in poena excommunicationis (c), ad quam tamen post tertiam denunciationem demum procedi potest (d). Non omni contumacia ius dicentis auctoritas tam insigniter laeditur, ut poenae publicae locus sit, neque qualitas causæ eandem semper postulat. Pertinet potius ad causas criminales, et in civilibus, nisi qualificata (§. 4.) fuerit contumacia, vix obtinere potest. Alias si iudici in causa ex officio procedere non licet, hanc quoque poenam infligendi ius defit. Priuatarum contumaciae poenarum iterum duplex est species. Vel enim consistit ea in refundendis expensis et singulari interessè præstanto

(a) PERILL. BOEHMER l. c. §. 782. *tec. not. vlt.*
783.
(b) c. 4. §. 1. x de off. et potest.
iud: deleg. cuius verba vid. §. an-

(c) c. 19. x de appellat. c. 7. x
de dolo et contum.
(d) T. P. O. art. V. §. 8..

CAPVT II. DE ACTORE CONTVMACE IN SPECIE. 13

stanto, quod ob quamlibet contumaciam, siue dolo siue culpa commissam, in iudicio pars aduersa persequi potest, quae poena *generalis* vocatur; vel praeiudicium ratione actus neglecti continer, et dicitur *specialis*; quae tamen non aliter nisi in eo locum obtinet, qui tribus edictis propositis, vel uno pro tribus, quod v'go peremtorium vocatur, praesentiam sui facere contemnit (*e*). Diuersus quoque modus procedendi contra actorem et reum contumacem obtinet. De reo contumace ut agatur, praesentis instituti ratio non patitur. De actore vero sequenti capite plenius agendum est.

C A P V T II.

DE ACTORE CONTVMACE IN SPECIE.

§. VII.

Transitus.

Iam, vt de **ACTORE CONTVMACE** agam, modumque procedendi contra eum ostendam, ordo tractationis postulat. Cum autem media, quibus hodie in foro in actoris contumacia coercenda vtimur, sint diuersa, nec eandem originem agnoscant; sed partim ex Romanorum placitis, partim ex Pontificum decretis descendant, partim vero legibus imperii nouam formam acceperint: iustiori methodo propositionum tractari non potest, quam si ex cuiuslibet

B 3

juris

(*e*) *L. 53. §. 1. D. de re iudicata.*

iuris fontibus, quid contra actorem contumacem statuendum sit, se paratim tradam. Hoc tamen generaliter hoc loco praemonendum est, quod omnium horum iurium conditores in modo procedendi contra actores contumaces determinando, litis contestationis rationem habuerint, diafersumque statuerint, si contumacia ante litis contestationem committitur, ab eo, quo coercetur, qui post litis contestationem contumax est. Neque ex natura processus utroque casu aequali semper ratione procedi potest, cum lite nondum contestata in causa principali procedere non licet. (a),

§. VIII.

*De actore contumace ex iure romano
Ante Iustinianeo.*

De Romanorum placitis in actoris contumacia infringenda actu-
rus, quaे iure Ante Iustinianeo obtinuerint, praemittam. Contumax
hoc iure arctiori significatu erat reus, qui tribus edictis propositis vel
uno peremptorio, praesentiam sui facere contemnebat. In hunc enim er-
iam poenae contumacia statutae erant e. g. quod condemnatus, si
appellabat, non fuerit audiendus (a). Notandum quoque, quod
hoc iure nemo, nisi post litem contestatam contumax dictus fuerit (b).

Diversa

(a) tot. tit. X. *Vt lite non con-
testata non procedatur ad testium
receptionem vel ad sententiam defi-
nitiam.*

(a) L. 73. §. 3. *D. de iudiciis. L.*

53. *D. de re iudicata. Conr. RIT-
TERSHVSIUS ad Nouellas S. IX. cap.
XV. §. 7.*

(b) *Idem l. c. §. 16.*

CAPVT II. DE ACTORE CONTVMACE IN SPECIE. 15

Diversa enim erat ratio litis contestationis antiquae ab hodierna. Illo scilicet iure lite demum contestata lis pendens et iudicium ceptum videbatur (*c*) ; ergo et ante litem contestatam contumax nemo dici poterat. Porro delictum contumaciae ante Iustinianum a reis tantum committi , nec actorum contumaciam vocare ex usu fuisse viderur. Neque enim actor edictis propositis sed praecolum vocabatur, antequam Imperator, quamicunque litigiorum partem edictis in iudicium vocare iussit (*d*). Neque si quis abstinebat a negotio, quod calumniandi animo instituerat, et ita liti in totum renunciabat, contumax vocatus est; sed *deslitiffe VLPIANO* (*e*) viderur. Pariratione, nec ut in reo contumace, peremptorio edicto, ut praesentiam sui faceret, commonesfacto, iuri consentaneum visum fuit, actorem differentem causam cogere ut sese representet, vel auditis desensionibus aduersarii, id quod iuris ratio exigeret, iudicare. Procul dubio huius iuris, quam et *Imperator DIOCLETIANVS* agnouit (*f*) ratio fuit: *quod inuitus agere vel accusare nemo cogatur.* Cuius legis auxilio cum abuterentur, qui tantummodo proponebant actiones, nobilant autem usque ad finem exercere iudicium; *IUSTINIANVS* (*g*) nouis constitutionibus eorum malignitatibus obuiam iuit, actoremque coeptum semel negotium usque ad finem litis exercere iussit. Quamquam autem iure antieustinianeo actor, qui peremptorio edicto

imperata-

(*c*) *Carl. Godfr. WINCKLER diss. de discrimine inter Litis cont. veteri ac hodierno Sect. II. per tot.*

(*d*) *Nou. 112. cap. 3.*

(*e*) *L. 10. D. de iudiciis.*
(*f*) *L. vr. C. vt nemo inuitus agere vel accusare cogatur.*

(*g*) *Nou. 112. cap. 3. pr.*

imperato die cognitionis ipse aberat, nec nomen contumacis fortius sit, nec specialis poena in eum statuta sit, hoc tamen inde eueniebat, quod teste Vlpiano (*b*) circumducendum fuerit edictum peremptorium. Ceterum neque causa cognoscetur, neque secundum praesentem pronunciabatur. Reus e contrario post edictum peremptorium absens citandus erat, et siue responderet, siue non responderet, agebatur causa et pronuntiabatur: non vriue secundum praesentem, sed interdum vel absens, si bonam causam habebat, vinciebat (*i*). Circumductum vero edictum **VLPIANVS** citato loco vocat, cuius instantia perit, hoc est, quod ipso actoris facto ex post effectu suo destitutum est. Salua ergo lis ipsa erat, et ex integro litigari nihilominus poterat (*k*).

§. IX.

De actoris contumacia secundum ius Iustinianum post litem contestatam.

IUSTINIANVS cum noua constitutione libidinem litigandi coercere, et quominus lites pene immortales siant hominumque vitam excedant, impedire vellet; actoris quoque contumaciam esse puniendam, ratus est. Primum quidem de contumacia *post litem contestatam* commissa *L. 13. C. de judiciis* statuit, postea, de ea quae *ante litem contestatam* committitur, legem tulit (*a*). Mihi quidem in explicantis

(*b*) *L. 73. §. 1. D. de iudiciis.* sae vi^{to}re, Erfordiae 1734.

(*i*) *L. cit. 73. pr. Tob Iac REINHARTH dis. de reo contumace cau-*

(*k*) *Idem. ib. §. 4.*

(*a*) *Nov. 1121. c. 3.*

CAPVT II. DE ACTORE CONTVMACE IN SPECIE. 17

plicandis hisce legibus Iustinianeis legislationis magis, quam processus ordinem seruare arrisit. Censuerat IVSTINIANVS omnes lites, quae causam ciuilem concernunt, non vltra triennii metas post litem contestatam esse protrahendas. Hinc si pars actoris cessaret, quatenus multiplici dilatione reus fatigetur, ut semestre tempus tantum ei supereret; licentiam dedit, per executores negotii actorem requirere, parte fugiente ex via parte actoris absentiam incusante. Quodsi per tres vices foret subsecutum, nec pars actoris fuerit inuenta, et neque per se neque per procuratorem instructum peruererit; tunc iudicem negotii acta apud se confecta conspicere censuit, sequentemque modum contra actorem procedendi praescripsit his verbis(*b*). *Et si quidem nihil sufficiens actitatum est, ex quo posset termino cause certa fieri coniectura: volumus non solum partem fugientem ab observatione iudicij relaxare, sed etiam in omnes expensas, quae conjueto modo circa lites expenduntur, eum condemnare, vera quantitate earum sacramento fugientis manifestanda, et omni cautela, quam super lite reus exposuit reddenda: et si remanserit, viribus evacuabitur.* Sin autem ex gestis apud se habitis, parte actoris minime inuenta, posset inuenire viam, qua manifestum ei fiat, quid statuendum sit, etiam absente actore, si meliorem eum causam habere perspexerit, pro eo ferre sententiam non moretur, et praesentem reum absenti actori condemnare, expensis tantummodo litis, quas reus legitime se expendisse iurauerit condemnatione excipiendis, quia hanc poenam actori, et meliorem

(*b*) L. 13. cit. §. 2.

18 DISS. IN AVG. IVRID. DE ACTORE CONTVMACE.

meliorē causā habentī propter solam absentiae contumaciam imponimus: nullo penitus ei regressū ad eandem litem conseruando. Sed actor contumax cadas omnino si reus absoluatur, sī vero aliqua condemnatio contra reum absente actore proferatur, quam forsitan non sufficientem sibi actor putauerit fugitiū, nubito modo iterum eandem litem resuscitare concedimus.

§. X.

Explicatur Lex 13. §. 2. C. de iudiciis.

Si mentem sanctionis huius recte perspicio, *Imp. IUSTINIANVS* duplēcē omnino ponit casum. Vel enim Iudex inspectis actis causam ita instructam inuenit, ut appareat quid statuendum sit vel idem non apparet. In casu posteriori, de quo in primo membro citatæ legis agitur, si neque super probatione, neque definitiæ index aliquid statuere potest, reum, contumaciam actoris fugitiui accusantem ab obseruatione iudicij relaxandum, hoc est, ab instantia seu ab illa ipsa causæ controversiae tractatione, quae facta per id tempus, quo lis inchoata fuit, absoluendum (*α*) esse staturit. Fit haec ab instantia absolutio, salua actione instituta, et quam maxime ab absolutione a causa differt, quippe qua ipsum perimitur ius agendi, cuius et Iustinianus in sequenti membro suæ constitutionis mentionem facit. Praeterea actor in expensas a reo iuramento manifestandas condemnandus,

(*α*) *Quod interpretatur Ordinat. Cameralis MAXIMIL. L. de a. absolviri werden.*

1495. Tit. XXI. von der Ladung

CAPVT II. DE ACTORE CONTVMACE IN SPECIE. 19

nandus, et omnis cautela quam super lite reus exposuit reddenda est; ut ergo postea actor, si litem reassumere voluerit, causam de integro agere debeat. Alter casus quem ponit **IvSTINIANVS**, est: si ex actis viam inuenire possit iudex, qua manifestum fiat, quid statuendum sit, quo non semper pro reo praesente, sed et pro actore absente iudex sententiam ferre, si eum meliorem causam habere perspexit, semper tamen actorem in poenam contumaciae in expensas condemnare tenet. Duo omnino in hac posterior dispositio- ne latent casus, quos ex mente imperatoris hic vterius exponere iuuat. Vel enim iam ad probationem deuentum est vel non. Si non dum ad probationem deuentum, videndum viri litigantium iudicis sententia pro ratione litis contestationis, incumbat. Lite negatiue contestata, et hinc probatione actori incumbente, huic per sententiam ea est iniungenda; qui si intra terminum praefixum probationem non suscepit, reus ab actione absoluitur. Lite vero affirmatiue contestata, reo probatio iniungenda, et tunc secundum acta et probata vel pro actore vel pro reo sententia est ferenda, actore tamen semper in expensas condemnato. Reus tamen, siue affirmatiue siue negatiue lis contestata fuerit, sponte ad probandum ius suum se accingente, sine dubio admittendus est. Qui si de iure suo, prout satis est, docuerit, definitiue ab actione absolui potest; ast si in probatione, quam suscepit, defecerit, non ab ipsa actione sed instantia saltem absolutio fieri debet (b). Secundo casu, vbi, si ad probationem iam deuen-

tum,

(b) *Reus eomagis post Litis contestationem, cum iamiam juris interpretes ante L. C. eam admittant.*

20 DISS. IN AVG. IVRID. DE ACTORE CONTUMACE

tum, eaque absoluta est, actor sit contumax, sententia omnino secundum acta et probata serenda est. Si ergo actor intentionem suam sat probauerit, nec haec probatio per reprobationem aduersari fuerit elisa, reus actori, quamquam absenti, condemnandus est. Quum vero reus actoris probationem reprobatione vel directa vel indirecta euerterit, hic ab actione instituta absolvitur. Quod idem obtinet, si reo principaliter probatio iniuncta fuit, isque ius suum satis probavit. Si vero nihil probauerit, absoluendus quidem est ab instantia, non vero a causa. Poena tamen generalis contumaciae, condemnatio scilicet in expensas, semper actorem contumacem, sive victor euadat, sive causa cadat, sequitur. Addit quoque IUSTINIANVS, quod si aliqua ex parte condemnatio contra reum prolata fuerit, quam forsitan non sufficientem sibi actor putauerit fugitiuus; nullo modo iterum eandem item refuscitare concedendum sit. Quo ipso ergo actor contumax omnium remediorum aduersus sententiam auxilio priuatur, ut nec coram eodem, nec coram superiori iudice ius suum denuo deducere queat (c). Huc procul dubio quoque verba HERMOGENIANI spectant, qui *Contumacia*, inquit, *eorum qui iudicent non obtemperant, litis damno coeretur*. Iure civili enim contumax non condemnatur ob solam contumaciam, sed beneficio appellations priuatur (d).

§. XI.

BARTOLVS ad authent. *Qui semel
C. Quomodo aut quando iudex etc.
n. 13. Tob. Iac. REINHARTH dis. cit. §. 5.*

(c) REINHARTH l. c. BRUNNEMANN in proc. ciu. cap. IV. §. 5.

(d) BRUNNEMANN l. c. §. 20.

CAPVT II. DE ACTORE CONTVMACE IN SPECIE. 21

§. XI.

Contumacia actoris ante litem contestatam.

Iam iure Ante-Iustinianeo cautum erat (*a*), quod si edictum peremtorium impetrans, die cognitionis abesseret, tum circumducendum esset peremtorium edictum. Circumducto vero editio, instantia tantum editi peribat, lis vero salua erat, et iterum reus conueniri et ex integro litigari poterat. Nunquam vero causa cognoscetur, nec secundum praesentem pronunciabatur. Cum vero a IUSTINIANO in Nouella Constitutione CXII. capite III. (*b*) sanctum esset, actorem ceptum negotium usque ad finem litis exercere; reus quoque, auctore ante litem contestatam contumace, ad deducendum in meritis causae ius suum admissus est (*c*). Antiquo remedio isto reus et hodie uti potest, si actor ante litis contestationem contumax est. Quocasus non auditur actor de integro causam mouens, nisi prius expensas, quas reus propter litem sustinuit et honoraria aduocatorum (*d*), iuramento rei, praevia iudicis moderatione manifestanda reo restiterit. Non enim sustulit hocce remedium IUSTINIANVS, sed nouum insuper remedium, auctoris contumaciam infringendi suppeditavit; difficilius quidem sed et efficacius, quippe quo si uti voluerit, non ab instantia solum, sed a causa absolvitur. Sed et ipsum Imperatorem sua proponentem audiamus. *Quamobrem sanctimus: aucto-*

C. 3 *remp*

(*a*) L. 73. D. de iudiciis.

(*b*) Vnde desumpta est eiusdem argumenti authenticæ. Qui semel Cod. Quomodo aut quando iudex sententiam preferre debeat.

(*c*) HERMANN Vultetus in tr. de

iudiciis L. II. c. c. n. 169. p. 366.

(*d*) Bened. CARPOVIVS in pro-

Tit. VIII. art. 1. n. 45. *hincus met-*

22 DISS. IN AVG. IVRID. DE ACTORE CONTVMACE

rem captum negotium usque ad finem litis exercere. Si vero causam prosequi distulerit: damus pulsato licentiam, iudicem apud quem lis coepit, postulandi: ut ab eodem iudice actor ad iudicium aut per se aut per legitimum procuratorem venire moneatur; et si hoc minime fecerit, propositis tribus vocetur edictis: una quaque cautione non minus quam triginta dierum spatio concludenda - - - si vero propositis edictis vocatus ad iudicium venire et suas intentiones aut per se aut per legitimum procuratorem propone-re noluerit: tunc et aliud unius anni spatium ei concedimus: intra quod, nisi suam intentionem fuerit prosecutus, damus licen-tiam iudici, et absente aduersario, partis permanentis allega-tiones secundum nostras leges examinare; et veritate subtilius re-quista, legitimam proferre sententiam. Hac ergo constitutione reo permisum est, siquidem hoc malit, in ipsa causa progre-di et iura sua exponere. Post tria edicta scilicet, quorum quod li-bet triginta dierum spatio concludendum est, et aliud annale spa-tium reus item contestari (e) causamque iudicis arbitrio submit-tere potest, qui veritate cognita secundum acta et probata vel reum praesentem absoluit, omnemque ulterius de ea re agendi viam actori praecludit, vel etiam pro actore absente, si bonam causam habuerit, sententiam ferre tenetur. Poena tamen genera-lis contumaciae, scilicet in expensas reo restituendas condemnatio-

(e) Dissentit Es. PUFFENDORFF l. c. §. 19. qui si reo non placet li-tem contestari, adorem ter citari posse, quo facto reum ad probatio-

nem admittit putat. Ap. lite non contestata ad probationem per veri-tatem nullum modo possimus. Tot. Tit. X. vi Lite contestata, etc.

CAPVT II. DE ACTORE CONTVMACE IN SPECIE. 23

in actorem semper statuitur, quamquam causae victor euaserit; uti easdem ante omnia restituere debet reo, si intra annale spatium venerit, suamque intentionem exercere voluerit. Ceterum si actor sumtibus litis intra hocce tempus datis, solum annale spatium interrumpere voluerit, *Imperator* eum denuo contumacem post annum et tria edicta ab omni actione cadere iussit; addit enim idem: *Deteriorem omnino dolum eius agnisci, qui interruptam iterum item deseruit, quam qui semel acceptam dereliquit.*

S. XII.

De actore contumace secundum ius canonicum.

Cautio de lite prosequenda.

Papa, cum caeteroquin omnia ea, quae iuri ciuili romano originem debent, aspernari more suo soleat, quia minime secundum leges saeculi viuendum esse statuit, in eo, circa quod versamur, capite, iuris ciuilis dispositiones per omnia adprobauit, nouumque tantum remedium addidit, quo actor contumax vsque ad finem in iudicio persistere cogatur. Approbasse ius canonicum modum procedendi iuris romani contra actorem iudicium defugientem tam ante, quam post L. C. ex rescripto ALEXANDRI III. (a) patescit; qui *actor*, inquit, *sive venerit sive non, aut si procuratorem non dimisi, denunciationibus ad domum missis, receptionis testibus alterius partis, iuxta dictam formam ad proferendam sententiam procedatis.* DICTA

vero

(a) in c. 3. x de dolo es consumacio.

VERO FORMA procul dubio nulla alia est, quam quae iure romanico præscripta erat, ad quam testè NICOLAO DE TUDESCHIS qui, quoniam Archipiscopus Panormitanus factus, vulgo PANORMITANVS (*b*) dici solet; hoc loco prouocatur. Absolutionem etiam ab instantia et refusionem expensarum reum petere posse placuit INNOCENTIO IV (*c*). Nouum autem actorem cogendi remedium, ut negotium coeptum ad finem perducat, eodem rescripto PP. INNOCENTII IV. introductum est, secundum quod actor, qui ad terminum, ad quem citari aduersarium fecerat, venire non curauit, ad citationem aliam minime admittendus est, *nisi sufficienter cauerit, quod in termino fideliter debeat comparere.*

S. XIII.

De actore contumace secundum leges Imperii.

Ad leges Imperii Romano Germanici transeo, vt ostendam quid in iis contra actorem contumacem sit statutum. Nulla quidem noua remedia reo nostris legibus data sunt; istis vero, quae iure peregrino prodita et supra explicata sunt, noua forma, ratioque iis utendi noua adiecta est. Liberum est ergo reo, tam ante, quam post item contestatam absolutionem ab instantia aut citatione cum refusione expensarum petere (*a*). Liberum est eidem si actor ante item conte-

statam

(*b*) ad c. 3. x de dolo et contumacia. 42. S. 1. C. O. C. P. III. tit. 51.
pr. Decr. Com. 22. Nouembris. 1665.

(*c*) cap. I. de dolo et contumacia. PERILL. Job. Steph. PÜTTERI epitome
(*a*) O. C. d. a. 1555. P. III. tit. processus imper. §. 143.

CAPVT II. DE ACTORE CONVTVMACE IN SPECIE 25

statam contumax est, pinguori remedio vti, pleniusque ubi consulere per litis contestationem voluntariam, meritorumque cause deductionem, eum in finem factam, ut ab actione ipsa absoluatur (b). Eadem ratione, si actor post litis contestationem contumax processum protelare studet, reo postulante ad definitiuam proceditur, et secundum deducta et probata pro actorre aut pro reo id quod iuris est decernitur pronunciatur; ita tamen, ut actor contumax reo praesenti, licet in causa succubuerit, expensas litis refundere semper teneatur (c). In forma vero quasdam reperi differentias a iuribus peregrinis dixi, quas hic sigillatim paulo vberius exponere luet. Iure romano si is, qui peremptorium impetraverat edictum, die cognitionis aberat, illud circumduci edictum dicebatur. Ex stilo vero legum imperii in iudicio Cameræ imperiali illud edictum peremptorium *citationis terminus* vocari solet; ideoque etiam hodie non edictum seu ipsam citationem, sed potius citationis circumduci terminum dicimus (d). Circumducitur ergo terminus, si eius lapsu citatio effectu suo destituitur. Porro non nisi primus terminus, quo quis comparere debebat in Camera Imperii dicitur *circumductus*, reliquos vero eum sequentes, quibus actori adhuc, vti statim videbimus, comparere licet, si eosdem neglexerit, non *circumductos*, sed *purificatos* vocari mos est. Haec omnia tamen a iure romano verbis magis, quam re ipsa discrepant. Maior et no-

taru

(b) O. C. de a. 1555. P. III. tit. iuris cameralis Lib. III. Tit. 54. p. 42. §. 2. C. O. C. P. III. tit. 51. §. 751. (Wetzlar. 1750.)

1. Decr. Com. 22. Novembr. 1661. (d) O. C. l. c. pr. Iac. BLVMBEN.

(c) O. C. l. c. §. 3. C. O. C. l. c. processus cameralis (Col. Agrip. §. 2. Cf. Guil. RODINCI Pande&tæ 1718.) Tit. 66. §. 9. p. 504.

D

etiam dignior differentia iuris romani et legum imperii hanc, in qua versamur, materiam concernens, est, quam iam exponam. Scilicet iure romano, si actor die cognitionis aberat, edictum *statim* circumducebatur. Contra huius iuris rigorem imperii legibus statutum est, ut si actor intra *tres iuridicas* a termino citationis compararet, causasque absentiae allegaret, adhuc admittendus sit, ac si in ipso citationis termino comparuerisset; ita quidem, ut demum tribus istis iuridicis proxime sequentibus elapsis, terminus citationis habeatur circumductus (e). Tres iuridicae hac lege ob eam rationem placuerunt, quia tot audientiae vna septimana habebantur. Cum vero postea per recessum Imperii Spirensen d. a. 1570. §. 4. 6. sancitum esset: *dass bis fürter alle Tage gerichtliche Audienz gehalten werden solle;* placuit quoque ut terminus post sex demum iuridicas circumduceretur (f). Et quamvis hodie iterum more antiquo tres quavis septimana celebrentur audientiae, tamen terminus post *six eiusmodi iuridicas*, et quidem continuas (g) demum habetur circumductus, et in contumaciam procedere licet. Modus procedendi con-

tra
dolita inforamtur et consipit mutuorum copiis deinde

(e) O. C. 1555. P. III. tit. 12. §. 17. ibi: *dass fürth im Fall, da der Kläger auf den andern oder dritten Gerichtstag, nachdem der terminus verschienen, obgemeldter massen erschienen, und auf seines Gentheils Begehrn seines Ausbleibens Ursache anzeigen würde, dass er alsden zugelassen werden soile, als ob er im angezezten termine erschienen wäre. Würden aber mehr*

den drei Gerichtstage nach gesetzten termin verschienen, und sich niemand im Gericht einlassen, so soll alsden der terminus pro circumducto gehalten werden und die ausgegangene citation gefallen seyn.

(f) Decr. Com. 17. Aug. 1554. C. O. C. P. III. tit. 12. §. 21.

(g) C. O. C. P. III. tit. 51. pr. Rec. Dep. 1600. §. 90.

CAPVT II. DE ACTORE CONTVMACE IN SPECIE. 27

tra contumacem hisce absoluitur, vt reus petat proclama das Rusen, quo decreto et peracto a Pedello, vel ab instantia, vel deductis deducendis ab actione absolutio peti potest. Consistit vero hocce proclama in citatione contumacis, viua Pedelli voce ad instantiam praesentis rei iudicisque decretum facienda. Similis videtur hic citandi modus antiquae citationi, quam voce praeconis olim factam esse ex iure romano constat (b).

§. XIV.

De actore contumace secundum statutum

Hamburgense P. I. Tit. XV.

Tandem laudabile eorum, qui iura patria ignorare maxime turpe legitimae scientiae studioſo iudicarunt, exemplum sequens, coroniſis loco et de iure statutario, actoris contumaciam coercente, almae patriae, Liberae S. R. I. Ciuitatis Hamburgensis paucis differere par est. Nullibi gentium fortassis litigantes contumaciae delicto ſeſe frequentius commaculare ſolent, quam in foro Hamburgensi. Nullibi ergo magis neceſſarium erat ſeuerioribus legibus ius dicentis auſtoritatem a litis protelantium malignitate defendere. Sed fine vteriori praeſamine rem ipſam proponamus. Diftinguit ius patrium eadem ratione, qua ius commune inter contumaciam actoris ante et post littorem confeſtatam commiſſam. Ante eam actor prima vice contumax praeter expenſas, praeſenti reo refundendas, qui et ab instantia abſoluitur, in poenam 8 fl. (a) fisco adiudicandam condemnatur. An-

tequam

(b) De cauſis ex quibus denegatur proclama vid. BlvM. l. c. §. 30.

ſqq.

D 2

(a) Poena haec pecuniaſaria contumaciae

28 DISS. IN AVG. IVRID. DE ACTORE CONTUMACE etc.

tequam ergo actor hanc poenam luerit, reoque expensas restituerit, nouam rei citationem petens, non auditur. Idem obtinet, si actor secunda vice contumax est. De potestate vero, per iura communia reo praesenti facta, qua volens item contestari et in causa ad definitiūam usque sententiam procedere licet, alium in nostro statuto seruatur silentium. Eius loco plane singulare quid et a iure communi recedens statutum est. Scilicet si actor tertia vice, noua impetrata citatione contumax est, reus praevia contumaciae actoris accusatione, refusis expensis absolvitur (b). Actor ergo tertia vice contumax hic litis ipsius damno coercetur; nec necessarium est, ex parte rei, ut item contestetur, sponteque probationem suscipiat. De contumacia vero quae post item contestatam ab actore committitur, sic ut iure communi, eautum est (c), ut in causa principali ad instantiam rei procedatur, et secundum probata vel pro reo praesente, vel pro auctore absente sententia feratur, actor contumax tamen utroque casu in expensas condemnetur.

maciae pro semisse quatuor fl. iam obtinebat ex statuto antiquiori de anno 1292. vel 1497. Rubr. *Wo men Geborfam unde Sekerheit tho recbi befaedige* §. 1. quod ex Codice Gothano typis expressum legitur in *The sauro iuris prouincialis et statutarri Germaniae pag. 644.*

(b) *Statut. Hamburg. P. I. Tit. XV. artic. 1. in fine: Wurde dann*

der Kläger, nach erlegten Unkosten, den Beklagten zum dritten mahl citiren lassen, und abermahl ungeborsamlich ausbleiben: so soll der Beklagte auf Beschuldigung des Klägers Ungeborsam, und sein ferner Anrufen von der Klage mit Abtrag aller aufgewandten Unkosten endlich los getheilet werden.
(c) l. c. art. 2. et 3.

T A N T V M .


Göttingen, Diss., 1770
f

ULB Halle
004 590 627

3



Sb.



1770, 7

DE
ACTORE CONTVMACE
TAM
SECVNDVM IVRA COMMVNIA QVAM
STATVTARIVM HAMBVRGENSE
SPECIMEN INAVGVRALE

QVOD
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GEORGIO III.
~~347~~

MAGNAE BRITTANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE REGE
DEFENSORE FIDEI
BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVCE
S. R. I. ELECTORE ET ARCHITHESAVRARIO
RECTORE GEORGIAE AVGVSTAE MAGNIFICENTISSIMO.

ILLVSTRIS
IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CONSEQUENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
CLEM. WICHM. CAROL. PRINSHAVSEN
HAMBVRGENSIS.

AD DIEM XI. IULII CICLOCCCLXX.

EX OFFICINA SCHVLZIANA.

